

Cum autem ieiunaueritis ne fiatis sicut hypocrite tristes. Destruunt enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes.

Commented [ND1]: [fol.78ra]

Commented [ND2]: demoliuntur *add. super lin.*

Bonum est hic ingemiscere multum, et amare lugubres esse. Non enim solum hypocritas imitatur, sed et illos superexcessimus. Noui enim multos non ieiunantes, et ieiunantium uultus circumindutos, et excusationem deteriorem peccato, premitentes. Vt enim non scandalizem ait multos, hoc facio. Quid dicis? Lex est diuina quae haec precipit, et scandali meministi? Et custodiens eam scandalizare estimas, transgrediens autem eruere a scandalo? Et quid hac excusatione deterius erit, non quiesces et hypocritarum deterior factus. Et multam malitiae huius super habundantiam excogitans. Non uerecundaris dictionis huius manifestationem? Neque enim dixit quoniam hypocritae sunt simpliciter, sed et tangere eos magis uolens ait. Destruunt enim facies suas, hoc est corumpunt, perire fatiunt. Si autem hoc destructio, est fatiei, ad uanam gloriam uiridem apparere, quid utique dicemus de mulieribus que coloribus et subscriptionibus faties corumpunt, iniacturam in continentium iuuenum? Illi enim sibi ipsis nocent solum, ipse autem, et sibi ipsis et uidentibus. Ideo oportet et hanc et illam fugere iacturam, ex multa super habundantia. Neque enim solum non ostendi, sed et studere latere precepit. Quod et antea fecit. Et in helemosina quidem, non simpliciter id posuit, sed dicens attendite non facere coram hominibus, apposuit ut uideamini ab eis. In ieiunio autem et oratione nichil tale determinauit. Quid utique? Quoniam helemosinam quidem impossibile est, omnino latere. Orationem autem et ieiunium possibile est. Quemadmodum igitur dicens nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, non de manibus dixit, sed de eo quod oportet cum diligentia uniuersos latere. Et iubens inerarium ingredi, non omnino neque principaliter illic solum iniunxit orare, sed idem rursus enigmatica insinuauit, ita et hic ungere iubens, non ut ungamur omnino in legislationem deduxit. Quoniam omnes inueniremur legem hanc transgredientes. Et ante omnes qui maximae eam custodire student, monachorum plebes, et qui montes assumpserunt. Non itaque hoc iniunxit. Sed quoniam ueteribus consuetudo ungi continue erat, exultantibus et letantibus, et hoc a dauid et adam hele utique aliquis sciet manifeste, dixit ungi, non ut hoc omnino faciamus, sed ut per omnia studeamus, cum diligentia multa abscondere, possessionem hanc, et ut discas quoniam hoc est, ipse hoc quod per sermones iniunxit, per opera ostendens, et ieiunans quadraginta diebus, et in latendo ieiunans, neque unctus est neque lotus est. Sed tamen et hoc non faciens, maximae omnium, sine uana gloria omnia expleuit, que utique et nobis iniungit, et hypocritas in medium ducens, et duplici enuntiatione audientes auertens, et aliud aliquid per nuncupationem hanc hypocritarum, enigmatica insinuauit. Non enim solum quia res est derisibilis, neque quia iacturam habet ultimam sed et quia ad tempus monstrat talem deceptionem, abducit a pernitiosa concupiscentia. Hypocrita enim usque tunc apparet clarus, donec spectaculum considet. Magis autem neque tunc apud omnes. Noscunt enim plures contemplantium? quis existens, quem se facit. Veruntamen spectaculo soluto, manifestius uniuersis reuelatur. Hoc itaque et kenodoxos, id est uane gloriosos sustinere omnino necesse est. Et hic enim quam pluribus sunt manifesti, qui non sunt hoc quod apparent, sed uultum circuminduunt solum. Multo magis autem amplius postea capientur, cum omnia nuda et edita apparent. Sed et aliunde rursus eos abducit ab hypocritis, in

Commented [ND3]: ualde *add. super lin.*

Commented [ND4]: uel causantes *add. super lin.*

Commented [ND5]: non habere talem uultum *add. super lin.*

Commented [ND6]: uel demoliuntur *add. super lin.*

Commented [ND7]: [fol.78rb]

Commented [ND8]: [fol.78va]

Commented [ND9]: id est ieiunium *add. super lin.*

Commented [ND10]: uel cum *add. super lin.*

Commented [ND11]: uel latenter *add. super lin.*

Commented [ND12]: id est *add. super lin.*

Commented [ND13]: theatrum *add. super lin.*

Commented [ND14]: qualis *add. super lin.*

Commented [ND15]: qualem *add. super lin.*

Commented [ND16]: occultat *add. super lin.*

Commented [CN17]: apparuerint *add. super lin.*

Commented [ND18]: id est *add. super lin.*

monstrando facile hoc esse preceptum. Non enim ieiunium intendit, neque maius ostendi iubet. Sed non coronam que ex ipso est perdere. Quare quod quidem uidetur onerosum esse, commune est nobis et hypocritis. Ieiunant enim et illi. Quod autem et leuissimum, laborantes non perdere mercedem, hoc est quod iubeo ait. Laboribus quidem nichil apponens, mercedes autem nobis congregans cum stabilitate uniuersa, et non dimittens non coronatos abire. Quemadmodum illos. Et neque eos qui in olimpiacis agonibus luctantur imitari uolunt. Qui tanta assidente plebe, et principibus tantis, uni uolunt placere, brauium ob uictoriam tribuenti eis, quamuis multum existenti defectiori. Tu autem dupplicem habens occasionem, illi uictoriam demonstrandi, et quia ipse est qui brauium tribuit, et quia omnibus incomparabiliter supereminet qui in theatro sedent, aliis ostenderis qui non solum nichil tibi profuerit, sed et maximae nocent. Verum neque hoc prohibeo ait. Si autem et hominibus ostendi uolueris, expecta et ego tibi et hoc cum ampliori tribuam superhabundantia, et multo proficuo. Nunc enim te abscindit a gloria que est a me hoc. Quemadmodum conglutinat, hec contempnere. Tunc autem omnibus poteris cum otio uniuerso. Non parum et ante illa, et hic fructificaturus, omnem conculcare humanam gloriam, et a difficili hominum liberari seruitute, et proprium effici uirtutis operatorem. Quia nunc ita dispositus, et si in solitudine fueris, omni desolatus eris uirtute. Non habens inspectores, quod et ipsi uirtuti conuitiantis est. Si tamen non propter ipsam, sed propter rudentium complicatorem et propter eris percussorem, et propter multam idiotarum plebem, ipsa participas. Vt et mali et qui a longe ab ipsa sunt te amirentur. Et inimicos eius uocas ad ostentationem et contemplationem eius. Quemadmodum si quis sobrius esse eligeret, non propter sobrietatis bonum, sed ut ostendatur luxuriantibus. Et tu igitur nequaquam elegisses uirtutem, non propter inimicos uirtutis. Cum sit decens et hic eam mirari, quoniam et inimicos, laudatores habet. Ammirari autem ut oportet, non propter alios sed propter se ipsam. Quoniam et nos cum non propter nos ipsos, sed propter alios diligimur, contumeliam hoc estimamus. Hoc igitur et in uirtute puta. Et neque propter alios eam persequere, neque propter homines obedi deo, sed propter deum hominibus, quia si contrarium feceris, et si participare uidearis uirtutem, similiter ut is qui non participat, irritasti. Quemadmodum enim ille in non fatiendo non obediuit, ita et tu in inique fatiendo. Ne thesaurizaueritis uobis thesauros in terra. Postquam enim uanae gloriae expulit egritudinem, oportuna iam et sermonem qui est de abrenuntiatione possessionum inducit. Nichil enim ita pecunias concupiscere facit, ut glorie cupido. Propter hoc denique et famulorum greges, et eunuchorum cetum, et auro opertos equos, et argenteas mensas, et alia que derisibilia sunt expetunt homines, non ut utilitatem impleant, neque ut uoluptate potiantur, sed ut multis ostendantur. Superius igitur quoniam misereri oportet solum dixit, hic autem et quantum misereri decens est ostendit, dicens. Ne thesaurizaueritis. Quoniam enim non possibile erat a principio repente sermonem qui de contemptu pecuniarum est introducere, propter tyrannidem passionis, paulatim ipsum abscindens. Et liberans inmittit in mentem auditorum, ut facile susceptibilis sit. Propterea primum quidem, dixit. Beati misericordes. Postea autem. Sis eunoon id est bonam mentem habens aduersario tuo, et post illud rursus, si quis te uoluit iudicari, et tunicam tuam accipere, da ei et uestimentum, hic autem quod multo maius est omnibus illis. Illic enim dixit quoniam si causam imminentem uideris, hoc fac. Non habentem enim eripialite, melius est quam litigare. Hic autem neque aduersarium, neque eum qui iudicatur ponens, neque alterius talis ullius memorans, ipsum secundum se ipsum docet pecuniarum contemptum, monstrans quod propter eos qui misericordiam consequuntur tantum, quantum propter dantem haec in legislationem deducit. Vt et si nullus fuerit qui iniusta faciat et attrahat iniudicium, et ita contempnamus que sunt. Tribuentes ea in digentibus. Et neque hic totum posuit, sed et hic, quiescibiliter. Quamuis agones qui de his sunt, cum multa superhabundantia in heremo

Commented [ND19]: id est add. super lin.

Commented [ND20]: [fol.78vb]

Commented [ND21]: id est add. super lin.

Commented [ND22]: uel inferiori add. super lin.

Commented [ND23]: deo add. super lin.

Commented [ND24]: id est add. super lin.

Commented [ND25]: [fol.79ra]

Commented [ND26]: uel ei add. super lin.

Commented [ND27]: se add. super lin.

Commented [ND28]: [fol.79rb]

Commented [ND29]: uel iudicium add. super lin.

Commented [ND30]: nos add. super lin.

Commented [ND31]: tamen add. super lin.

Commented [ND32]: uel remisse add. super lin.

ostenderit. Sed tamen non ponit hoc, neque in medium ducit. Non dum enim reuelare tempus erat, sed cogitationes scrutatur interim. Consiliatoris magis quam legislatoris ordinem, in sermonibus qui de his sunt custodiens. Dicens enim ne thesaurizaueritis in terra, induxit ubi tinea et uermis destruit, et ubi fures effodiunt et furantur. Interim monstrat, thesauri qui hic est nocumentum, et eius qui illic est utilitatem, et a loco, et ab his qui nocent. Et non usque ad haec stat, sed et alium inducit sensum. Et primum ab eis que maximae formidant, ab his eos incitat. Quid enim formidas ait, ne consumentur peccuniae si helemosinam dederis? Itaque da helemosinam, et tunc non consumentur. Immo et ad iectionem accipient ampliorem. Etenim quae in caelis sunt apponuntur. Sed interim id non dicit, sed postea id ponit. Interim autem quod maximae eos prouocare poterat, hoc in medium ducit id est manere inconsumptum eis thesaurum, et alterutrinque eos attrahit. Neque enim dixit, quod si dederis helemosinam seruat solum, sed et contrarium minatus est quod et si non dederis perit. Et uide ineffabilem prudentiam. Neque enim dixit quod et aliis eas derelinquis. Quoniam et hoc uoluptuosum est hominibus. Sed tamen aliunde eos terret, monstrans, quod neque hoc potiuntur. Et si enim homines non nocuerint, sunt qui nocent omnino, tinea, et uermis. Et si enim ualde facile uitabilis esse uideatur haec iactura, sed tamen in expugnabilis est, et ineuitabilis, et si quodcunque excogitaueris, non poteris hinc obuiare iacturae. Quid igitur aurum, tinea destruit? Et si non tinea, sed fures. Quid igitur uniuersi furto ablati sunt? Et si non omnes, sed plures. Propterea et alium quod iam dixi inducit sensum, dicens, ubi thesaurus est hominis, illic est et cor eius. Et si enim nichil horum erit ait, non paruam sustinebis iacturam, inferioribus affixus, et seruus pro libero factus, et a caelis cadens, et nichil excelsorum excogitare potens, sed omnia peccunias et usuras, et mutuum, et questus et mercimonia non liberalia, quo quid erit miserabilis? Etenim seruo omni hic talis, disponetur deterius, tyrannidem difficillimam attrahens. Et quod omnium est oportunissimum prodens nobilitatem hominis et libertatem. Quantacunque enim aliquis tibi disseret mente a fixa pecuniis, nichil audire poteris tibi decentium. Sed quemadmodum canis sepulcro alligatus, omni cathena difficilius pecuniarum tyrannide, aduersus aduenientes uniuersos latrans, unum opus hoc habes continuum, seruare aliis que recondita sunt. Quo quid erit miserabilis? Sed tamen postquam hoc excelsius erat audientium mente, et neque iactura eius quam pluribus facile neque emolumentum manifestum, sed prudentiori indigebat consilio, ut alterutra hec conspiciat, posuit quidem hoc post illa que manifesta erant, dicens. Vbi thesaurus hominis, illic et cor eius. Facit autem id manifestius rursus, ab intellectualibus ad sensibilia educens sermonem et dicens. Lucerna corporis est oculus. Quod autem dicit tale est ne suffodias aurum in terra, neque aliud aliquid talium. Tineae enim et uermibus et furibus ea congregas. Si autem et haec effugeris nocumenta, in seruitutem redactum esse cor, et affixum esse inferioribus omnibus non effugies. Vbi enim utique fuerit thesaurus, illic et cor tuum. Quemadmodum igitur in caelum deponens non hoc fructificabis solum, potiri premiis que in his sunt, sed hinc mercedem accipis, illic appulsus, et que illic sapiens, et proliis que illic sunt sollicitus existens. Vbi enim deposuisti thesaurum, manifestum quoniam et mentem illic transponis, ita si in terra hoc feceris, contraria patieris. Si autem incertum est tibi hoc quod dictum est, audi ea que deniceps sunt. Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus pernitiosus fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit. Si autem lumen quod in te est tenebrae, tenebre quante sunt? Ad sensibilia educit sermonem. Postquam enim meminit intellectus, ut in seruitutem redacti, et captiuati, hoc autem non multis facile cognoscibile erat, ad exteriora et quae ante oculos iacent, doctrinam transponit. Vt ex his et de illis intelligant. Si enim non nosti ait, quidem iactura intellectus, a corporalibus hoc addisce. Quod enim est oculus corpori, hoc intellectus animae. Quemadmodum igitur non utique eligeres

Commented [ND33]: uel demolitur *add. super lin.*

Commented [ND34]: Ita circa finem omelie septuaginta unus circa uanam gloriam et de helemosinia. *notum in marg.*

Commented [ND35]: [fol.79va]

Commented [ND36]: uel nisi *add. super lin.*

Commented [ND37]: eis *add. super lin.*

Commented [ND38]: uel capi posse *add. super lin.*

Commented [ND39]: animal *add. super lin.*

Commented [ND40]: uel indomita *add. super lin.*

Commented [ND41]: uel hanc continere iacturam *add. super lin.*

Commented [ND42]: uel demolitur *add. super lin.*

Commented [ND43]: id est *add. super lin.*

Commented [ND44]: [fol.79vb]

Commented [ND45]: uisibilis *add. super lin.*

Commented [ND46]: hoc id est *add. super lin.*

Commented [ND47]: hoc *add. super lin.*

Commented [ND48]: uel transmigrans *add. super lin.*

Commented [ND49]: sunt *add. super lin.*

Commented [ND50]: [fol.80ra]

Commented [CN51]: est *add. super lin.*

aurum induere, et siricas uestes circumambire et orbari tuis oculis, sed sanitatem horum uniuersa tali superhabundantia cupidiorum esse, existimes. Si enim eam perdas et corrumpas, nulla tibi reliquae uitae est utilitas. Quemadmodum enim oculis orbatis, multum operationis reliquorum membrorum abiit, lumine eis extincto, ita et mente corrupta, decem milibus uita tua malis inpletur. Quemadmodum igitur in corpore hoc intendimus ut oculum sanum habeamus, ita et in anima intellectum. Si enim hunc orbauerimus, debentem et aliis tribuere lumen, unde iam perspicimus? Quemadmodum enim fontem destruens, et flumen siccauit, ita qui intellectum destruxit, omnem eius hunc in uita actum turbauit. Ideo ait. Si lumen quod in te est tenebrae est tenebrae quanta sunt. Cum enim gubernator submersus fuerit, et lucerna extingatur, et dux captius fuerit, qualis iam erit subditis spes? Propter hoc utique mittens dicere nunc insidias que sunt propter diuitias, pugnas, iudicia, enigmatice enim ea insinuauit superius dicens. Tradet te aduersarius iudici, et iudex ministro, ea que omnibus his sunt difficiliora, accidentia omnino **ponens**, ita abducit a pernitiosa hac concupiscentia. Inseruitutem enim redactum esse intellectum egritudine hac, multo difficilior est quam habitare carcerem. Et hoc quidem non omnino contingit, hoc autem deinceps **hereditatur** cum pecuniarum desiderio. Ideoque id post illud ponit, quasi difficilior existens, et omnino contingens. Deus enim ait dedit nobis intellectum, ut ignorantiam abiciamus, et **rerum** iudicium rectum habeamus, et ad tristitia omnia et nocentia, hoc ut scuto quodam et lumine utentes, maneamus instabilitate. Nos autem **tradimus** donationem hanc propter haec superflua et inutilia. Que enim utilitas militum aurum induentium, cum dux captius trahitur. Quod proficuum nauis decorate, cum gubernator submersus fuerit? quid autem **plus est** corpore bene **composito** cum oculi uisu fuerint carentes? Quemadmodum igitur medicum debentem sanum esse, ut soluat egritudines, **pro te mittens** in egritudinem in argenteo iubet iacere cubili, et aureum thalamum, nulla utilitas erit laborantibus, ita si quod intellectum corrumpens potentem soluere passionem, thesauro assidere feceris, non solum nichil profecisti, sed et maximae toti animae nocuisti. Vides qualiter per quae maximae concupiscunt homines peritiem, ubique per haec eos maximae ab illa abducit, et ad uirtutem reducit? Cur enim concupiscis pecunias ait, nonne ut lasciuia et uoluptate potiaris? hoc igitur maximae non erit tibi hinc, sed contrarium uniuersum. Si enim oculis euulsis nullum uoluptuosum sentimus, propter iacturam **que** inde est, multo magis et in intellectu peruersitate, et orbitate, hoc patiemur. Cur autem suffodis in terra? Vt custodiatur cum stabilitate? Sed et hic rursus, contrarium est ait. Quemadmodum igitur ieiunantem, et miserentem, et orantem ad uanam gloriam, ab his qui concupiscit maximae eum attraxerit ad non uane gloriandum, cuius enim gratia ita oras et misereris ait, gloriam que ab hominibus est cupiens, itaque ne ita oraueris ait, et tunc ea potieris secundum diem futurum, ita et auarum ab his quae maximae studuit, caput. Quid enim uis ait, pecunias tuas custodiri, et uoluptate potiri? Hec tibi utraque tribuimus cum multa superhabundantia, si illic deposueris aurum ubi iubeo. Manifestius igitur in posterioribus iacturam intellectus que hinc fit, ostendit, quando spinarum meminit. Interim autem et hic non ut contingit hoc enigmatice insinuauit, monstrans ob tenebratum eum qui circa haec insanit. Et quemadmodum qui in tenebris sunt, nichil uideret manifestum, sed siue funem uiderint, serpentem esse putant, siue montes et ualles, moriuntur ob pauorem, ita et hii ea quae non sunt terribilia uidentibus, in suspicionem habent. Etenim paupertatem timent. Magis autem neque paupertatem solum, sed et quodlibet dampnum. Etenim si paruum quid amiserint, necessarium prestantium escam, magis dolent, et dilaniantur. Multi denique ditantur, et ad laqueum uenerunt talem non ferentes aduersitatem. Sed et iniuriam pati et uexari, ita **intollerabile** esse uidetur, ut et propter hoc rursus a presenti multi **eruantur** uita. Ad omnia enim molles eos diuitiae fecerit, preterquam ad earum ministerium. Cum enim hee seruire iubeant, et aduersus occisionem

Commented [ND52]: [fol.80rb]

Commented [ND53]: possidetur *add. super lin.*

Commented [ND54]: uel causarum *add. super lin.*

Commented [ND55]: de *add. super lin.*

Commented [ND56]: utilitatis *add. super lin.*

Commented [CN57]: bene *add. super lin.*

Commented [CN58]: siquis inmitten *add. super lin.*

Commented [ND59]: [fol.80va]

Commented [ND60]: eis *add. super lin.*

Commented [ND61]: [fol.80vb]

Commented [CN62]: erunt *add. super lin.*

audent, et flagella, et obprobria, et aduersus uerecundiam uniuersam. Quod ultimae est miserabilitatis. In his quidem quibus oportet philosophari, molliores esse omnibus. In his autem quibus reuerentiores esse deceret, inuerecundiores rursus et pertinaciores effici. Etenim idem contingit his, quale si aliquis patiat, sua uniuersa **consumens** in his que non decent, talis enim tempore necessariae consumptionis instante, nichil habens impendere, intolerabilia patietur mala. Omnibus suis antea male consumptis. Et quemadmodum qui in **scena** perniciosas artes illas scientes, in his quidem, multa in opinabilium et periculosorum sustinent, in aliis autem utilibus et necessariis rebus, omnibus sunt derisibiliores, ita et hii. Etenim qui super funem tensam ambulant, et tantam uirtutem ostendunt, cum aliquod necessarium audere **expedit** et fortitudinem, neque excogitare neque sustinere aliquid tale possunt. Ita utique et ditantes, omnia pro pecuniis audentes, pro philosophando nichil tale sustinere tolerant. Et quemadmodum illi, fallax et inutile negotium tractant, ita et hii. Pericula quidem, multa sustinent, et precipitia. In nullum autem utilem adueniunt finem, et duplices sustinent tenebras, et **ab** intellectus **peruersione** orbati, et a sollicitudinum deceptione multam caliginem sustinentes. Ideoque neque perspicere facile possunt. Qui enim in tenebris est solum, sole apparente eruitur a tenebris. Qui autem uisu est orbatus, **neque** sole apparente. Quod utique et hii passi sunt. Neque enim solem iustitiae lucentem, et consilientem audiunt, precludentibus eis oculos diuitiis. Ideoque duplices tenebras sustinent, has quidem ex se ipsis, has autem ex non adtendendo magistro.

Commented [ND63]: uel consumi *add. super lin.*

Commented [ND64]: sunt *add. super lin.*

Commented [ND65]: uel oportet *add. super lin.*

Commented [ND66]: uel ob *add. super lin.*

Commented [ND67]: uel peruersionem *add. super lin.*

Commented [ND68]: [fol.81ra]

Attendamus igitur ei cum diligentia, ut uel tarde respiciamus. Et qualiter respicere possibile est, si didiceris qualiter excecatus es, a pernitiosa concupiscentia. Quemadmodum enim pupillae purae humor influens pernitiosus id est pecuniarum cupido, spissam nebulam fecit. Sed expellere et scindere nebulam hanc, est facile. Si radium christi doctrinae susceperimus, si audierimus eum suadentem et dicentem, ne thesaurizaueritis uobis thesauros in terra. Et quid michi ait, amplius erit ab hac auditione, cum a concupiscentia detinear? maximae igitur et concupiscentiam, continua auditio, dissoluere poterit. Si autem in manseris detentus, intellige quod neque concupiscentia hoc est, qualis enim concupiscentia est difficulter seruire, et subici tyrannidi, et ligari undique, et in tenebris conuersari, et tumultu repleri, et labores inutiles sustinere, et aliis custodire pecunias, multotiens autem et inimicis? quali autem fuga et qualibus cursibus non sunt haec digna, qualis concupiscentia est thesaurum deponere in medio furum? Si autem uniuersaliter concupiscis pecunias, transpone ubi possit manere, cum stabilitate et sine uexatione. Quia quae nunc facis, non pecunias concupiscentis sunt, sed seruitutem et uexationem et dampnum, et dolorem continuum. Tu autem siquidem aliquis hominum in terra locum inuexabilem monstrauerit, et si in **ipsam** eduxerit heremum promittens stabilitatem custodie pecuniarum, non pigritararis, neque tardares, sed et commendares, et immitteres illic pecunias. Deo autem non pro homine promittente tibi hoc, et non heremum sed celum proponente, contraria acceptas? quamuis et si decem milies instabilitate fuerint hic inferius, a sollicitudine nequaquam liber esse poteris, et si enim nunquam perdas, a cura nequando perdas, nunquam erueris. Illic autem, nichil horum sustinebis. Et quod utique amplius est, quoniam non suffodis aurum **solum**, sed et plantas. Id enim ipsum, et thesaurus est et semen. Magis autem alterutrius horum, est amplius. Semen enim non manet semper. Hoc autem, manet continuae. Rursus thesaurus, non germinat, hic autem, immortales tibi fert fructus. Si autem tempus michi dicis, et tardationem retributionis, habeo quidem et ego monstrare et dicere, quanta et hic accipis. Sine his autem, et ab ipsis uitae huius rebus te arguere temptabo, uane eas causantem. Multa enim et in presenti uita construis, quibus non ipse poteris, et si incuset aliquis, **pueros**, et illorum **pueros**, **premittens**, sufficientem putas mitigationem superfluum laborum inuenisse. Dum enim in

Commented [ND69]: Morale xx. aduersus auaros *notum in marg.*

Commented [ND70]: [fol.81rb]

Commented [ND71]: in celis *add. super lin.*

Commented [ND72]: filios *add. super lin.*

Commented [ND73]: filios *add. super lin.*

Commented [ND74]: causans *add. super lin.*

ultima senectute existens, fabrices domos preclaras, quarum ante finem, obibis multotiens, et arbores plantas, que post multa tempora fructum afferent. Cum enim plantas in uilla arbores, quarum post decem milia tempora fructus ueniet, et substantias et hereditates emas, quarum post multum tempus, suscipies dominium, et alia multa taba libenter labores, quorum non fructificabis usum, numquid propter te ipsum, aut propter posteriores facis? Qualiter igitur non ultimae amentiae est, hic quidem nichil mestum esse ab ipsis tarditatem, et maxime cum ex hac tarditate, ab uniuersa sit casurus laborum retributione. Illic autem propter tardationem torpere, et maxime cum amplio tibi ferat utilitatem, et non ad alios transmittat utilitatem, sed tibi afferat donationem. Sine his autem neque tardatio est multa. Etenim in ianuis sunt haeres, et nescimus nequando et in nostra generatione finem habent uniuersa quae secundum nos sunt, et terribilis aduenerit dies illa, tremendum nobis demonstrans et iustissimum iudicium. Etenim plura signorum completa sunt, et euangelium iam, ubique terrarum predicatum est, et prelia, et signa, et fames uenerunt, et non multum est medium. Sed non uides signa? et hoc ipsum maximum est signum. Neque enim qui in hoe uiderunt proemia uniuersalis illius destructionis, sed in medio ludentes, comedentes, consueta facientes uniuersa, ita comprehensi sunt a terribili illa uindicta. Sed et qui insodomis, similiter lasciuientes, et non suspicantes quae facta sunt, a fulminibus tunc descendentibus combusti sunt. Quae igitur uniuersa excogitantes, conuertamus nosmetipsos, ad preparationem quae hinc est abscessionis. Et si enim communis consumationis dies nondum instet, uniuscuiusque finis in ianuis est, et si senex aliquis fuerit, et si iuuenis, et non est, hinc abeuntes, neque misericordiam emere iam, neque deprecantes potiri uenia, et si abraham qui deprecatur fuerit, et si noe, et si iob, et si daniel. Donec igitur tempus habemus, antea recondamus nobis ipsis multam liberam presentiam. Congregemus misericordiam copiosam, transponamus uniuersa in caelum, ut in tempore decenti, et iniquo maxime eis indigemus, omnibus fruamur, gratia et filantropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

Commented [ND75]: [fol.81 va]

Commented [ND76]: uel preter hec add. super lin.

Commented [ND77]: fuerunt add. super lin.

Commented [ND78]: hec add. super lin.

Commented [ND79]: [fol.81 vb]